


JS





Cat

1036-29  
SKUNKS

PL028599

JSL.S

Ca

JS  
ALO23599

---

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**ADAMANTE**

---

*QVAM*  
AVSPICE SVMMO NVMINE  
EX CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
*IN ALMA FRIDERICIANA*  
PRAESIDE  
**D. IOANNE HENRICO SCHVLZE**  
MEDICINAË ELOVENTIAE ANTIQVITATVM ET  
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO  
ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET  
REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-  
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
MORE MAIORVM RITE CAPESENDIS  
*AD DIEM V. CALEND. MAII, M DCC XXXVII.* 1737  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI EXHIBET,  
AVCTOR RESPONDENS  
**IOANNES FABRI, PANNONIVS,**  
ARTIVM AC PHILOSOPHIAE MAGISTER.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

DISTRIBUTIO LIBRARIAE MEDICA

DS

# THEATRUM MAGIAE

QVAM  
AVSPICE SUMMO NVMINE  
EX CONSENSA ATOAE ACTORIATHE  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
IN AXM A AVD E RACIANA  
PRÆSIDIE  
DJOANNES HENRICO SCHULZE  
MEDICINÆ PROFESSOR PERIODICO  
PHYSIOPHARIA PROFESSOR PERIODICO  
ORDINARIO  
ACADEMIE CÆSARIAE MATRAE CAVILLORVM ET  
REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM PRO-  
TINENSIS-SODALII  
PRO GRADA DOCTORIS  
SUMMUS AUREM PREDICINA HOMINIS AC PRIMIENS  
MOLLE MATERIA MULCA CEREBRI  
EX DIES A QVADRAGINTA ANNIS A DECE XXXX  
LEGIPACE AVANHORUM DISCORSITONIUM PRAVINENT  
ACTORI RESPONDIT  
IJOANNES FARRI FARNIONIVS  
ARTILLIA DE PHARAO ANAS MEDICINÆ  
HABENS MAGISTERIUM AC  
THEATRUM LIBRARIAE MEDICA

THEATRUM LIBRARIAE MEDICA  
TYPIS T. T. T. T. T. T. T.



## PROOEMIVM.



Vum nuper publicæ relationes  
crebram mentionem facerent, quam  
incredibilis vis adamantum ex Bra-  
silia in Europam aduecta Lusitano-  
rum nauibus fuerit: mercatores-  
que cœperint dispicere, quo modo  
cauendum sit, ne pretiosæ mercis  
copia vilitatem eiusdem secum adferat: inter medicos  
quoque diuersa iudicia audiebantur. Alios enim vene-  
fiorum multitudinem maiorem extimelcere subiit: a-  
lli ægrotis parabiliorem ad varios morbos medicinam  
gratulabantur; atque rursus alii nec metuere se aliquid,  
nec magnopere sperare ostendebant. Neque destituti  
videbantur singularum sententiarum patroni vel magnorum  
virorum auctoritatibus, vel rationum, præsertim ex  
ore dñerti grauisque viri sonantium, ponderibus. Mo-  
uit me ille tantus dislensus, vt per omnis æui bonos  
scriptores ea requisitum irem, quæ ad hanc controuer-  
siam pertinent, ponderatisque argumentis indagarem, in  
quam partem vera sententia magis inclinaret. Ea ita-

que in chartam tum coniecta ad incudem sualu Excellen-  
tissimi Viri, PRAESIDIS mei, reuocauit inque hunc ordi-  
nem redigi, ut pro specimine inaugurali, quod leges iu-  
bent edere, in publicum conspectum producerem. Ac-  
cipe igitur, beneuole lector, hancce commentatiuncu-  
lam, siue de lapide, cui hominum consensu maximum  
preium statuitur, minus digna tuis oculis dedisse vide-  
bor, pro æquitate tua excuses primorum conatum te-  
nuitatem, tuique fauoris gratia supple, quantum defu-  
isse viribus nostris intelliges.

---

CAPVT I.  
HISTORICATAM DE ADAMANTE QVAM  
EIVS ACCVSATIONE TRADENS.

CONSPETCTVS.

*Adamantis etymologia & homony-  
mia, §. I.*

*Veteres parum explorati de ada-  
mante habent: multaque tra-  
dunt, que nostris non conueniunt,  
§. II.*

*Descriptio adamantis, §. III.*

*De fodinis, adamantum prouentu  
nobilitatis, qui scripserint, §. IV.  
Ex Tavernerio breuiter de fodina  
ad Raolcondam: item de altera,  
qua Culur aut Gani vocatur, §. V.*

*De tertia fodina in regno Bengalæ:  
& adamantibus insulæ Borneo,  
§. VI.*

*De aliis locis queritur, & de pseu-  
do adamantibus, §. VII.*

*Nistro tempore cogniti adamantes  
posunt communii, findi, teri, ca-  
lari, §. IX.*

*Sed ignis, nisi solaris, omnem vehe-  
mentiam eludit, §. IX.*

*Quid medici antiqui de adamante  
senserint, §. X.*

*Græcorum nemo adamantem vel  
laudat vel accusat: Latini uno  
ore eum commendant, §. XI.*

*Medii aui scriptores usque ad secu-  
lum XV. nihil graue de eo scri-  
pserunt, prater Auerroem Ara-  
bem, & Santem Ardoynum; de  
quibus tamen dubium est, annon  
per errorem factum sit, §. XII.*

Propiori aeuo maiori ardore accu-  
satus est, §. XIII.

Cuius auctores feruntur Theophras-  
tus Paracelsus ad secula, §. XIV.  
Sed prudentiores ipsi dubitare se-

significant, §. XV.

Aequiuocatio mater huius erroris  
fuisse videtur, §. XVI.

Status totius controversiae, §. XVII.

§. I.

**A**DAMAS Latinis eodem nomine, quo apud Græcos etiam, venit. Est autem, ut indubium puto, origine Græcum, ex & priuatiuo & verbo δαμάζω, domo: ut αδάμας idem sit, tamquam dices *indomitum*, quod vel omnino non potest, aut sine magna molestia nequit domari. Quæ veteribus persuasio fuerit de indomita, vel non domanda eius indole, liceat PLINIUS verbis docere *natur. hist. libr. XXXVII. cap. 4.* incudibus hi deprehenduntur, ita respuentes iictum, ut ferrum utrimque disfultet, in- cudesque etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, si mulque ignium viætrix natura. Vnde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit. Manifestum vtique est, quod bonus Plinius notioni grammaticæ nimis stricte inhæreat: quum v- sus Græci sermonis doceat, quod & priuatuum non semper absolute neget, sed sèpius difficultatem tantum denotet. Docet hoc scholiares HESIODI ad scut. Hercul. vers. 137. atque simul indicat homonymiam, qua poëtis & mythographis *adamas* & *adamantinus* non raro ponitur pro chalybe aut ferro durissimo; quod quidem hoc loco pluribus testimoniosis comprobare mi- nime puto conueniens. Sufficiat vnicum adiecisile exemplum homonymiæ ex sacris litteris, vbi Græci interpretes adamantem & adamantine vocant, quod alii rectissime exponunt *verpendicularum*, & ad eius rectitudinem adcurate exactam muri structuram *Anos. VII. 7. 8.*

§. II.

Adamantis gemmæ mentionem antiquiorem non memini me legere, quam eam a PLATONE factam in *Timæo*, p. m. 1066. quamquam eruditis perinittendum videtur, ut decernant, satisne secure huc referre hunc locum liceat. *Auri*, inquit,

ramus, propter densitatem durissimus & nigro præter ea colore suffusus, adamas appellatur. Quid si Plato, qui sæpius poetice & improprie loquitur, hic sit de chalybe, aut ferro in genere, intelligendus? Certe ad laudem & bonitatem adamantis parum quadrat color niger suffusus. Sed de hoc alii dispiciant: mihi non licet multum euagari, & in hoc ipso sermonis limite id minime omnium videtur permisum. Legat, si quis plura velit, CL. SALMASII exercit. Plin. ad Solin. p. 755. seqq. Sic satis animaduertet, quam incerta & obscura sint, quæ veteres de adamante sciuerunt. Videtur illa relationum diuersitas deberi eximiæ apud priscos raritati gemmæ huius, de qua PLINVS, l. c. *Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas, diu non nisi regibus, & iis admodum paucis, cognitus.* Quumque Græcis hominibus exigua Asie interioris cognitio fuerit, ante quam Alexander M. illa regna penetraret, sibique magna ex parte subiiceret: haud mirandum, si admodum pauca & exilia scriptis suis de hac gemma immiscuerunt, & quorum pleraque non conueniunt adamantibus apud nos cognitis.

### §. III.

Erimus itaque deinceps vnicæ intenti nostris adamantibus, id est, lapidibus pretiosis, omnium clarissimis, totisque pellucidis atque purissimæ instar aquæ nitentibus, qui adplacatam tincturam ad se rapiunt, sibique ita iungunt, ut micantes suos radios procul iacent: quo præcipuo signo a rei gemmariaæ gñaris cognoscuntur & a pseudoadamantibus discernuntur. Horum historiam ex recentioribus scriptoribus, qui vel ipsi natalia eorum loca adierunt, vel de hoc arguento ex instituto commentati sunt, hauriemus, paucisque delibabimus: deinde tota opera examinatur ea, quæ de venenosa indole adamantis passim scripta & asserta deprehendimus.

### §. IV.

Ex iis auctoribus, qui loca adamantum prouentu celebria adierunt, & omnia suis oculis explorauerunt, potissimum mihi

mihi placet IO. BAPT. TAVERNIER, qui quadraginta solidos annos itineribus impendit, & gemmarum cognitionem, tamquam artem, a qua censeri voluit, ipso vsu & conuersatione cum hominibus callentissimis, sibi comparauit. Ex antiquioribus auctioribus sua hauserunt ANSELMVS BOETIVS de BOOT, cuius *gemmarum & lapidum historia* prostat, & IOANNES de LAET, qui *de gemmis & lapidibus duos libros* reliquit: quorum ille GARCIAM ab HORTO plerumque sequitur: hic & illo duce vtitur, & LINSCHOTANO, aliisque, quos non sine iudicio subinde expedit. Cominemorat autem TAVERNIERIVS *itinerum Indorum lib. II. cap. 15. 16. 17.* loca illa, quibus colliguntur adamantes, satisque diserte indicat, sibi, haud incurioso ceteroquin scrutatori, nulla alia præter hæc innotuisse per omnem, quæ orientalis vocatur, Indiam. Quis de Brasilianis adamantibus scripserit, & an omnino aliquis scripserit sibi explorata & certa, equidem nescio, meque adeo excusatum cupio, si omnino nihil de illis posuero.

## §. V.

Prima itaque fodinarum a TAVERNIERIO visarum est in regno *Visapour*, quod olim magni Mogolis imperio addictum, sed nunc proprio monarchæ subiectum est. Prope *Ravcondam* illa visitur, in solo arenoso, saxis & siluis abundante. Scrutantur per saxa venas vix digitii crastitiem superantes, arena impletas: quas ferro diffringunt, vt arenam impetrant, quam aqua superfusa lauant, vt adamantes impetrant. Hanc fodinam ante ducentos demum annos detectam fuisse comperit auctor, qui circa CIC IOC LX. mercatui isti interfuit. Alteram deinceps describit fodinam, quæ a Persis *Culur*, ab indigenis *Gani* vocatur, & vix uno seculo ante auctoris aduentum detecta fuit. Magna hominum frequentia quotannis ad fodiendum eo confluit, omninoque LX. hominum millia hoc labore occupata aestimauit. Profundos hic agunt puteos, usque eo, dum in aquas subterraneas incidunt, quibus ab ulteriori labore detinentur. Utuntur autem aqua reperta, vt terram egestam emollient atque eluant; ex illo, quod in fundo

do remanet, adamantes curiose colligunt. Sat magnos lapides hic inveniunt, sed non omnes satis puros & elegantes.

§. VI.

Aliqua fodina inter Raolcondam & Culur medio tractu quondam fuit, quæ pulcros dedit adamantes, sed qui sub politura disflierunt, quare regis iussu prohibita est adamantum ex hac fodina collectio, ne omne commercium suspectum fiat emtoresque damni metu ab omni hac merce emenda deterreantur. Tertia autem fodina, eademque antiquissima, est in regno Bengalæ, prope vicum Soumelpour, quem fluuius Gouel alluit, ex cuius arenis pretiosi lapides colliguntur non sine magno & difficili labore. Non magnos, sed in acutum apicem fastigiatos, lapides hic inueniunt. Quartus denique locus adamantum prouentu celebris est insula Borneo, eiusque fluuius Succadan. Sed non aditur hic locus a peregrinis, quum non sint ibi liberi mercatus, omnesque lapides regii thesauris inferantur, & ex illis vendantur, maiori etiam pretio, quam tolerabile videri auctori nostro poterat; quum bonitate tamen nihil supererent illos in continentí Indiæ satis abunde obuios. Ceterum, quæ de pretio adamantum ab eodem scriptore satis curiose accurateque scribuntur, huc adducenda non existimamus, quum haec ad medicinam neutiquam pertineant.

§. VII.

Atqui hi sunt isti loci per totum orientem, vbi hodie adamantes colliguntur. Nolo multis laborare, vt TAVERNIERIO concilium alios auctores, qui eiusdem tractus alias vrbes nobis denominant, vbi fodiantur hi lapides. Credo diuersitatem hinc oriri, quod pauci ipsa loca natalia adeunt, sed emporia tantum mercandi causa visitant. Quod autem aliqui ex Macedonia etiam & Arabia, quin Aethiopia, adferri adamantes scripserunt, id puto factum esse fide veterum, qui vel adamantis nomen non satis adcurate ponebant, vel Plinio fisi, quod Adamas non nisi in auro gignatur, secrete crediderunt easdem regiones, quæ aurum mittere & præbere

bere leguntur, adamante etiam abundare. Nostra certe ætate nemo ibi inuentos aut allatos adamantes veros annotauit. Pseudoadamantum autem magnam copiam passim suppetere, qui & duritie insigne habent, & fulgentissimum iubar de se spargunt, notum est. Quæ Galliæ loca tales præbeant, indicat NICOLAVS LEMERY in *dictiōnario simplicium*. Germaniam talibus non destitui, sed Rhenum, vbi Heluetios egreditur, & Bohemiam multos & elegantes præbere, satis constat. Vide etiam OL. WORMIVM in *Museo cap. 17.*

## §. IIX.

Omnes adamantes, qui nostro æuo cogniti sunt, duritem quidem insigne habent, tantamque, ut omnibus lapidibus & gemmis ceteris palmam in hoc dubiam reddant: sed nemo hodie credit illi Plinianæ, quam initio attulimus, assertioni, quod mallei ictus eludant, ipsasque incudes diffindant. Quin illi, qui ex saxorum venis diffringendis adamantes eruunt, haud raro experiuntur magno suo damno, quod eximios lapides fregerint, aut fissuras ipsis attulerint. Quin norunt referunque artifices, quod findi in tenuissimas lamellas a perita manu possit, quibus deinde alii lapides pellucidi apte incrustantur: quo pacto fraudem minus cautis fieri prohibent. Quod vero sanguine hirci calido maceratus fragilitatem demum adquirat, id hodie fabulis omnes accensent. Nam potest etiam sine hac præparatione in apto mortario ex chalybe, pistillo idoneo contusus, in puluerem satis minutum redigi, quo gemmarum cælatoribus ac politoribus opus est, quoties vel ipsum adamantem, vel aliam gemmam, polire, aut aliquid in illis cælare cupiunt. Satis autem curiosum est, quod adamas sibi simile & eiusdem duritiei corpus atterere valet, quum agens potentius esse debere videatur paciente. Causam fatis vero similem prodit BOETIVS lib. II, cap. 6. quod particula, quæ patitur, semper eadem est, puluis autem, qui atterit, non idem semper, sed in quoquis puncto alias & subinde renouandus occurrit. Adde, quod atterendum aut exca-

uandum quiescit ; atterens vero celerrimo motu in quiescens fertur & impetum facit.

## §. IX.

Quum vero malleo resistere quidem nequeat ; inque persuasione contraria versati veteres errauerint : proinde tamen non etiam falsi sunt , quando igniuin vietricem adamantis naturam prædicauerunt. Testantur enim multi , quod vehementissimum ignem culinarem admodum diu sine ullo detrimento sustinuerit : immo quod intensissimum , quo feriunt solares radii arte & idoneis vitris collecti , calorem spreuerit , donec smaragdo addito tandem liquari se passus fuit : quod experimentum ab HOMBERGIO institutum & regiæ scientiarum academiæ Parisiensi oblatum legimus. Adparet satis , quam frustraneus sit metus eorum , qui propterea , ne adamas splendorem & vires calore lecti amittat , noctu digito detrahendum solicite inculcant , eumdemque in cyatho aquæ frigidæ aut super marmor ponendum docent. Certe si non tincturæ substratae causa metuendum est , ne a calore remittat & corrumpatur , ipsius lapidis causa nihil est extimescendum , præsertim a tali calore , qui a corpore humano potest proficiisci. Sed nimirum antiquus mos est , annulos nocte detrahendi , quod ex MARTIALI discimus XI. 60.

*Senos Charinus omnibus digitis gerit  
Nec nocte ponit annulos,  
Nec cum lauatur : causa quæ sit queritis?  
Dactyliothecam non habet.*

Quæ res quum multas causas habere potuerit , & forte illam quoque , quia noctu totius corporis habitus a diffusis & expansis humoribus laxatur & magis expanditur , annulus autem arctius inhærens vasa cutis stricturus , & quasi strangulaturus videtur : hic tamen , vt in multis aliis , factum videtur , vt hominibus , valetudinis rationem inter postrema fere reponentibus , alia persuaderetur , quæ scilicet pretiosæ suppelletilis conseruatione commendata metuendum valetudini in commodum auerteret.

## §. X.

## §. X.

Plura de adamante falso perhibita a veteribus, nobis autem aliter comperta, omittimus, quum iam a plurimis sint notata, & ad medicinam nihil omnino faciant. Potius autem ducimus progreди ad quaerendum, quid de adamante medici exspectare debeant. Scilicet diuersissima sunt horum de hac gemma iudicia, dum alii salutis praeſidium ab ipso sperare iubent; alii perniciem eamque inuictam & ineuitabilem metuere: non pauci nec vtilitatem nec damnum ab eo exspectandum contendunt. Oportet itaque auditis cuiusuis partis rationibus, expensisque momentis tam arduæ causæ, non perfunctorie quærere, quid vero proprius videatur. Quum vero inuidiosum sit in controuersia, quæ a maximis viris in alterutram iam partem inclinata & distracta est, versari & sententiam dicere; omninoque videatur id non conuenire homini, qui primum specimen in publicum edit: dabo quidem operam, ut cuius, a cuius sententia mihi discedendum est, debitum tamen meritis suis honorem & obseruantiam perpetuo conseruem. Ipsam autem ratiocinationem meam, omnemque hanc causam rectius sentientium, & quod maximum est, vera firmaque experientia edotorum arbitrio, omni, qua decet, modestia & fiducia permitto, gratisime accepturus eius doctrinam, qui in re tanti momenti meliora ostenderit.

## §. XI.

Admiratione dignum videtur, quod antiquissimi scriptores medici Græci de adamante nullam omnino mentionem iniiciunt, & nec auxilium morborum inde petere iubent, nec inter morborum mortisque causas recentent. Certe, si quid illis innotuisset de venenosa indole eius, non videntur id omisuri illi, qui ex instituto venena descripserunt, ut alexipharmacæ docerent: quod fecerunt, qui ad nostram ætatem p̄euenerunt, NICANDER COLOPHONIVS, & DIOSCORIDES. Inter Latinos PLINIVS non raro meminit adamantis, sed non alio modo, quam qui commendare eum debet. Scribit enim *bif., natur. lib. XXXVII. cap. 4. Adamas & venena irrita facit, &*

*lymphationes abigit, metusque vanos expellit a mente.* In eundem sensum scribit SOLINVS in polyhist. cap. 52. *Indicorum lapidum, in adamantibus dignitas prima, utpote qui lymphationes abigunt, venenis resistunt, & paucitantium vanos metus pellunt.* Neque aliena sunt, quæ ISIDORVS Origin. lib. XVI. cap. 13. reliquit: *fertur (adamas) in electri similitudine venena deprehendere, metus vanos expellere, maleficiis resistere artibus.* Aliquanto plura prædicat ALBERTVS MAGNVS de miner. lib. II. tract. u. dicunt magi, quod laetato sinistro alligatus valet contra hostes & insaniam, & indomitas bestias & ferros homines, & contra iurgia & rixas & contra venena & incursum phantasmatum & incuborum. Abstrineo me lubens a pluribus referendis, fere enim hæc a posterioribus propagata & transcripta deprehendes.

### §. XII.

Non me poenituit percurrere complures, qui de venenis scripserunt, auctores, usque ad seculi XV. finem, ut sunt: PETRVS APONITANVS, ANTONIVS GVAINERIVS, FERDINANDVS PONZETTVS, quorum aliqui in amplificando venenorū catalogo plus æquo diligentes fuerunt: & nullus tamen horum adamantem accusauit. Quin PETRVS CARRARIUS in quæst. de venenis ad terminum inter illa, quæ lentis venenis efficaciter opponi possint, post lapidem bezoar ponit adamantem, hyacinthum & sapphirum: ubi non facile dixeris, quod excludi internus usus debeat, quum stet inter illa, quæ ex mente veterum intra corpus adsumi debent. Vnum tamen ex Arabibus AVERROEM citari video apud PAVLVM ZACCHIAM, *Quæst. medico legal. lib. II. tit. 2. quæst. 4. pag. 21.* & ex recentioribus SANTEM ARDOYNVM, quem & nocumenta & curam eius tradidisse ibidem testatur. Sed prior videtur sua auctoritate induisse posteriorem. Valde optauit ipsum inspicere; sed non habui eius copiam. Videant alii, annon forte interpretis aut scribæ & typographi vitio aberratum sit. Nam MATTHAEVS SILVATICVS in pandectis annotat *Adamis* esse nomen panis porcini, qua appellatione gaudet cyclaminum, valde acris

acris & erosiuæ inflammatoriæ proprietatis causa in veneno-farum plantarum indicem iam pridem relatum.

## §. XIII.

Manet itaque firmum, quod adamas maximo consensu antiquitatis nulla suspicione malignitatis oneratus, ne dicam accusatus fuerit: quodque potius venenis contraria eius virtus habita fuerit, ipso externo vsu efficax; si demus etiam, non satis clarum esse, quod ex uno *Carrario* colligimus, de vsu interno. Habemus autem testimonia de vsu etiam interno, si non ad salutem & medicationem certissime proficuo, tamen de innoxio & minime damno, quæ adducemus, si accusatores adamantis, & acerrimos quidem, & qui capitalis criminis reum agunt, prius audiuerimus. Evidem fateor, me nescire, quis primus hanc gemmam ad triumuiros rerum capitalium, tamquam veneficorum principem, propiori æuo detulerit. Curiose inquisui in auctorem, & accusationis formulam, vt viderem, quodnam corpus delicti, vt in foro loqui solent, indicauerit, & iudici subiecerit: sed nondum mei voti compos factus, credo sane ex leuibus rumusculis sine capite ortam accusationem esse; qualem nemo grauis iudex aduersus principem gemmarum admiserit, quin potius ipsi, tanta famæ macula, nulla quidem sua culpa, adsperso, omnem in falsos delatores legibus concessam actionem dare, si petere posset, neutiquam abnuerit.

## §. XIV.

Quid ANSELMO BOETIO de BOOT de hac accusatione innotuerit, volo verbis eius, et si paullo longior sermo videri potest, exhibere: *adamantis pulueri etiam adscribitur vis deleteria, tam exitiosa, ut nullis remediis extingui aut emendari possit.* Huius scobe *Theophrastum Paracelsum chymicum sublatum, ipsius discipuli & iurati adserunt: fortassis, ut ipsius imposturam tegant.* Nam quum ille vitam perennem vel longam medicamentis suis promisisset, in flore tamen virili extinctus est. Aut itaque mentitus fuit se huiusmodi pharmaca, quæ omnibus morbis mederentur, & vitam produ-

## DISSERT. IN AVGVR LA. MEDICA

cerent, habere, aut si habuit, ratio danda fuit, cur iuuari decantatis medicamentis, instantे morte, non potuerit. Commodior sane singi non potuit ea, quæ ab adamantis puluere sumitur, quem aiunt, non quia venenum est, sed quia duritie intestina corrodit, interficere. Notabilis est locus, quia non solum illud refert, quod ad factum pertinet, verum etiam callidum huius commenti consilium detegit, insuperque veram, de qualitate deleteriæ indolis, accusatorum mentem declarat. Evidem fateor, me paucas omnino horas legendis vel Paracelsi ipsius, vel iuratorum eius adseclarum, scriptis tribuisse, postquam experiendo didici, quam parum instruere libri illi soleant, qui dissimulanter scripti & ad decipiendum lectorem compositi sunt: quare vix spero, nisi forte casu inuenerim, me detecturum illius commenti auctorem. Quin ignorare illum malo, quam cum certo detrimento temporis, quod utilius collocari potest, incerta tamen spe successus, illum diu requirere.

## §. XV.

Video tamen, mortem Theophrasti Paracelsi a prudenteribus amicis eius nonnisi timide ad adamantem referri. Sic IO. BAPT. van HELMONT. in libello, qui *arcana Paracelsi* inscribitur, ita de hac re iudicat: *Sunt alii quoque, qui illum toxicum sublatum aiunt.* Cui cum remedia non minus, quam ad alios morbos, cognita & in promptu essent; supponunt illum adamantis puluere, perecis intestinis interemtum. Ego vero nullatenus admiror immaturam mortem viri ab adolescentia solliciti circa *arcana chymica*. *Quem enim mortalium non inficiant carbonum suffitus?* aquarum fortium, gradantium & arsenicalium? itemque antimonialium noua in dies examinatio, que per longa annorum tertia experiendo, nondum experti haurimus, de malignitate illorum non nisi per experientiam seram admoniti. Neque longe hinc abit IACOBVS CVRIO HOFMANVS in dialogo, quem Hermotimum inscriptis, cuius pag. 122. hæc legimus: *valde metuo, ne mortem cum suis illis quinti elementi essentiis sibi acceleraverit.* Scilicet innuit intemperantiam & dissolutos mores viri, qui, ut testantur qui cum ipso vixerunt,

runt, præcipue autem intimus quondam eius discipulus IOANNES OPORINVS, ebriositati nimium obnoxius fuit, vt & cum rustico popello in tabernis compotare & volutare se in stratis ipsorum minime indignum se putaret. Cumque destillandis multis spiritibus occuparetur, vero vtique simile videatur, quod nonnumquam se largius istis inuitauerit aquis vitæ & quintarum essentiarum specioso titulo superbientibus liquoribus, eorumque abusu violentiam ceterarum ab vita genere reliquo causarum valde intenderit, mortemque immaturam anno ætatis quadragesimo septimo adduxerit. Confirmat hoc eius intemperantiae vitium, & quod in aliis negotiis etiam turbulentus & præceps, linguaeque ne in ipsum deum & magistratum suum continens fuerit, grauiter confirmat vir priscae fidei, & eiusdem æui scriptor, THEODOR. ZWINGERVS *in theatro vit. human.* pag. 1422. & 2275. Ex quo adparet adamante gemma nulla opus fuisse ad interimendum virum, qui omnia faciebat, vt salutem suam pessum daret.

## §. XVI.

Credo autem omnino primum istum, qui Theophrastum adamante necatum scripsit, disimulatorem fuisse, quiq[ue] æquiuoco sermone credulis & simplicibus illudere voluit. Nam quum *ἀδάμας* & gemmam adamantis nomine insignem, & aliquid indomitum atque inuictum, denotet: potuit vti- que de Theophrasto æque ac de quovis defuncto dicere, quod adamante perentus fuerit: quum hoc sensu nemo, quisquis moritur, nisi ab adamante moriatur: quippe némo est, qui moriendi necessitatem effugere queat. Id ve- ro quum alii audiuisent, & de adamante æquiuoce dicta in eum, qui vulgatissimus est, sensum raperent; progredien- te disputandi feroore quæsitum est de modo, quo adamas Theophrastum necauerit. Callidus ille disputator præui- debat, non profuturum sibi, si adamanti suo aliquem ex illis, qui cogniti sunt, nocendi & interimendi modum ad- tribue-

tribueret, quo cum aliis venenis conueniret; quoniam statim consequebatur frustra Paracelsum iactasse vniuersalem medicinam: respondit itaque, non enecasse, quia venenum est, sed quia duritie intestina corrodit. Prorsus mihi videtur id voluisse, quod nescio quam ingeniosum putant recentiorum aliqui, quando venenum mechanicum vocant, si aurichalci bracteæ tenuissimæ, in minima segmenta scissæ & homini exhibitæ, mortem longo post tempore inferrent, idque præcise pungendo & exulcerationem inducendo. Nam si in æruginem, quo orichalci natura nimis facile ruit, versa illa segmenta damnum sanitati & vitæ inferrent, non mechanice nocerent, sed vulgari ac tritisimo & ante bis mille annos inculcato modo. Miror, cur commenti inuentor non potius auri lamellas elegerit, quæ a ventriculi succis solui nequeunt.

### §. XVII.

Sed de ortu illius persuasionis, quod adamas hominem necare possit, esto cuiuis liberum, si meliora & certiora inuenierit, nostram corrigere & supplere sive relationem, sive conjecturam: nosque candidis monitoribus plurimas habebimus & agemus gratias. Progredimur ad cetera, quæ altero capite tractanda destinauimus. Ante omnia autem statutus controversiæ rite formandus videtur. Nam qui accusant adamantem vel in genere ipsum venenis adscribunt, id est, talibus, quæ qualitate noxia & naturæ corporis aduersa sunt prædicta, qua œconomiam omnem vitalem, et si parua quantitate adsumantur, peruerunt & destruunt: vel qualitatem cum aliis venenis conuenientem omnem negant, culpam autem letalis & funesti euentus vnice sic describunt & tradunt, vt agat adamas, quemadmodum cultri, vel alias instrumenti scindentis ac pungentis, acies, quæ vulnerando & exulcerando nocet, quamquam nemo sit, qui cultrum propterea venenatum dicere sustineat. Quid de alterutro modo statuendum sit, seorsum considerabimus.

CAPVT

CAPVT II.  
ADAMANTIS DEFENSIONEM  
SISTENS.

## C O N S P E C T U S .

Instituti rationes & tractandi ordinem exponit, §. I.

Adamas per M D annos a nullo medico accusatus fuit, §. II.

AVERROES Arabs, cur vix idoneus accusator haberri posse: & quae sit iusta causa reiciendi SANTEM ARDOYNVM, §. III.

Nullam existare obseruationem, quae probet umquam fuisse aliquem ab adamante occisum, §. IV.

Diluitur obiectio, quod Theophrastus Paracelsus eo occisus sit, §. V.

Repudiatur casus ex BEMBO relatius, §. VI.

Multi adamantes innoxie deglutierunt integros, §. VII.

Nec desunt, qui scobem adamantis commendant assumendam, §. IX.

Exempla innoxie assumente eiusdem, §. IX.

Ex quibus fundamentis adamantem

suscipit fecerint Arabes, §. X.

De theoriis recentiorum, quibus suis perstruitur eius accusatio, §. XI.

Si adamas vitrum secat, non sequitur, ut membranas molles & bumidas secare idem possit, §. XII.

Puluis adamantis, si cetera accedant, terit gemmas: sed non perinde molles membranas, §. XIII.

Respondetur ad argumenta a gravitate pulueris & a motu peristaltico petita, §. XIV.

Quanta consequantur venena, si adamans ex allatis causis venenum haberri debeat, §. XV.

Obiter de limatura martis & polinne vitri, §. XVI.

Adamantis puluis veneno imbutus potest esse mortis causa, §. XVII

Conclusio totius dissertationis, §. XXIX.

## §. I.

**Q**UAM semper fauorem mereantur maiorem, qui innocentem defendant, quam qui nocentem aut criminis suspectum accusant; quoniam tamen fieri posset, ut aliquis, caute

& callide dissimulare doctus, impune multos laderet, nisi impune esset ex iusta suspicione aliquem deferre ad iudicium: non vtique cupio illos, aduersus quos acturus sum, eos scilicet, qui adamantem capitalis criminis reum egerunt, illicitæ in libera republica rei insimulare; dum mihi modo liberum & nulli fraudi sit, si inique accusati innocentiam liberrime defendo. Ne vero videar vllum irritare velle, eo vt artemperamento, vt accusatorum ipsa subinde verba, quo magis ingenue agam, tacito quamvis nomine, adferam; eorum præsertim, qui inter viuos supersunt & reipublicæ litterariæ inseruiunt: in illis vero, qui nulla re adamantem lèdunt, potius autem defendunt & tutantur, nomina etiam adpellem, & testimoniiis eorum æqua fide, vbi cumque commodum videbitur, vt. Tantoque magis spero fore, vt æquo lectori probetur meum consilium, quum hanc causam peragam tali æuo, quo nulla de hac quæstione controuerteria agitur; adeoque nemo esse posse, qui non veritatis, sed partis studio hæc scripta interpretetur.

## §. II.

Vt itaque ad defensionem innocentiae adamantis pedetentim & gradatim progrediamur, merito videmus vrgere, quod tanto tempore non solum sine vlla malignitatis accusatione, verum etiam honorifice habitus adamas, tandem simul ac semel, quasi concursu & globo hostium circumuentus, & in summum existimationis periculum adductus fuerit: prorsus vt in fatis fuisse videatur huic gemmæ, vt numquam mediocri pretio censeretur. Nam si recte supra calculos posuimus, quod adamas demum ab Alexandri M. temporibus Europæ innotuerit: positis porro rite calculis, inueniemus ab initio Alexandrinæ vrbis, ex qua commercia Asiæ cum Europa effluerunt, ad Christianæ æræ principium annos effluxisse CCCXXXI. Sed AVERROES, qui teste HERBELOTO in biblioteca orientali, circa finem sæculi Christiani XII. floruit, & IO. LEONE AFRO de medic. & philos. Arabibus auctore A. C. CIO CC. VI. obiit,

obiit, omnium, quos inuenire licet, primus est, qui suspe-  
ctum adamantem reddidisse dicitur: consequitur, vt adamas  
per mille & quingentos annos, quodque excurrit, omni su-  
spicione liber, cum summa laude inter mortales versatus sit.

## §. III.

Esto igitur vere inueniri apud modo dictum AVERROEM Arabem illam accusationem, nulla interpretis, primo Iudæi, deinde semibarbari Latini, culpa & vitio laborantem; quod adfirmantibus probandum incumbit: parum certe in medico foro valebit vnuis Auerroes, qui consentientibus, vt quidem spero, omnibus peritis, a theologia & iuris-prudentia Muhammedana & philosophia Aristotelica, quam a medicina, magis censendus est: & in cuius historia nec vnicum momentum inuenitur, quo probari posit, quod medicinam vñquam agitare & exercere cupuerit aut aggressus fuerit. Tanto autem magis secure hic repudiamus Auerroem, quoniam videmus in tanta medicorum medii æui multitudine neminem fuisse, qui ipsum in hac accusatione sequeretur, præter SANTEM ARDOYNVM, quem vero simile est omnia corraderet & cum puluisculo conuerrere debuisse, vt magnum librum conscriberet de arguento, quod exiguo volumine complexi fuerant, ante ipsum de eodem commen-tati.

## §. IV.

Vt itaque adamantis innocentiam tueamur, ante omnia quidem merito videmus duo vrgere, scilicet quod nulla fidelis, indubiaque obseruatio in medicorum libris prostet, qua probari posit vñquam factum fuisse, vt aliquis adamante gemma interficeretur, & deinde quod sæpius visum notatumque fuit, quod adamantes integri impune fuerunt deglutiti, & comminutorum puluis pro medicamento non solum a medicis commendatus fuerit, sed ab ægrotis bono cum successu acceptus; vt & quod aliqui, vitæ pertæsi, mortem sum-to hoc puluere frustra omnino quæsuerint, per multos dein-

## DISSERT. IN AVGVRAL. MEDICA

ceps annos, sine vlo valetudinis incommodo aut labo superstites.

## §. V.

Primum dixi nullam exstare fidelem indubiamque obseruationem, quæ factum reddat certum & indubium. Nollem heic mihi obiici illud tralaticium de Theophrasto Paracelso. Quis enim illum secuit, & corpus delicti, quod vocant, ostendit? Debet huius viri obitus in quæstione omnino omitti, quia hoc est, quod negamus factum, negamusque umquam esse probatum. Si quis venena alteri exhibit, habet, credo, magnas tanti facinoris rationes: saltem ICti in casu dubio, vbi verosimiles coniecturæ multæ indicium præbent, ante omnia talibus inhærent eruendis; vt a M. TVLLIO CICERONE Sextum Roscium defendantem in parricidii causa, discere me memini. Sed in Paracelso non inuenio ullam rationem, quæ mouere quemquam potuisse, vt pretiosi pulueris iæcturam faceret ad erronem & extorrem hominem, cui ganeæ rusticæ perfugium erant, e viuorum consortio expellendum. Si odium multorum sibi contraxit; certe non derant alii modi, si sanguinem eius quisquam sitiisset, in homine tam dicaci & blasphemico opprimendo. Sed quid frustra laboramus in his diluendis suspicionibus, quas ipsimet amici eius diu iam deseruerunt, vt supra probauimus?

## §. VI.

Sed exstat utique obseruatio a graui historico perscripta ad posteritatis memoriam, qua probari potest adamantem valere ad hominem perimendum. Eam ex BEMBI *historia Veneta* in hunc modum refert IO. SCHENCKIVS *obseruat. libr. VII. pag. 996.* *Tristanus Cibeletus Cyprus, Ferdinandi Regis Neapolitani legatus captus, quod post regis Cyprii mortem tumultu excitato-reginae patrum interficerat, exsulque factus fuerat, sui poenas sceleris se persoluturum sciebat, adamante, quem in annulo gestabat, per os in stomachum recepto, aqua insuper, que metalla diuidit, epota, dum portaretur, interiit.* Evidem in medio relinqu causam, ob quam

quam captiuus adamantem deglutiit : sed mortis consequetæ causam non aliam agnosco , quam laudatus SCHENCKIVS ; scilicet aquam chrysulcam , cui si quis sociam causam fuisse crebet adamantem , non maiori iure erit , quam capti a venatico cane leporis gratia ad collare , quod gestauit , referri potest .

## §. VII.

Quotidianum esse apud Indos , vt mancipia quædam plurimos adamantes , quo furrum tegant , deuorent , ex MONARDE refert BOETIUS lib. II. cap. IV. idemque TAVERNIERIVS c. I. confirmat , qui *œdōnīns* refert , quod mercatores , qui fossorum operam conduxerunt , multos ipsis custodes apponere cogantur , vt hanc fraudem , admodum sibi damnofam , auertant . Relatum a fide dignis habeo , qui ante hos XXXVII. annos hic nouerunt virginem , cui medicus puluerem , quem tunc miscerat , illico assumendum miserat . Mox animaduertit sibi ex annulo , quem in manu gestauerat , excidisse adamantem : quare suspicari coepit illum fuisse in puluerem istum delapsum . Mittit ad virginem & reposcit puluerem , quem iam assumserat . Dantur multa pinguia & lubricantia , & altero die adamas ex iis , quæ expurgata fuerant , repertus ad medicum refertur . Vix quisquam in tota Europa nesciuerit , quantum aliqui metuerint , quum ante paucos annos Princeps quædam celsissima adamantem magnum incauta deglutiisset : quem sine vlla molestia ab ea receptum fuisse , quia publice scriptum est , nemo ignorat . Evidem non reprehendo illos , qui in eiusmodi casu officiosos se præbuerunt ; sed magnas iustasque metuendi causas fuisse neutiquam credo : vt postea dicam .

## §. IIX.

Sed de magnis adamantibus nihil metuendum esse aliqui concedunt : scobem vero , id est minutissimum puluisculum , quem *Demantpoort* vocant artifices , cum summo periculo assumi dicunt ; atque hunc esse illud infame vene-

num, quo Paracelsus sublatus sit, quoque vitæ insidiæ insuperabiles struuntur. Sed & hic desideramus probationem, quod ullus umquam homo fuerit hoc puluere interfactus. Quam dum desideramus, quantumuis studiose requisitam, constanter adserimus contrarium. Supra laudauimus CARRARIVM, qui haud obscure commendat interne adhibendum hunc puluerem. Longe autem clarius & disertius eum laudat MICHAEL SAVONAROLA de bals. lib. II. rubric. 8. quo loco, agens de principio martiali fontium, meminit illius persuasionis, quæ limaturam ferri malam esse stomacho, vomitum excitare & aliquando sic ad mortem perducere suggerit. Huic noxæ medelam suadet, quæ multis inexpectata videbitur. Verum, inquit, puluere adamantis, vel aqua, in qua per noctem incuerit, eius violentia reprimitur. Non dicam quam concinnum sit remedium. Sufficit, quod imaginario veneno imaginaria antidotus satis fuerit, quæ ubi prodesse non poterat, neque damnum valebat inferre. Sed de limatura martis infra iterum dicemus.

### §. IX.

Clarius est testimonium de pulueris huius innocentia quod ex MONARDE adducit c. I pag. 124. BOETIVS, mulierem videlicet quampliam marito, antiqua dysenteria laboranti, adamantis secum per multos dies propinasse, absque aliquo detimento. Confirmat hanc experientiam casus notabilis, quem a D. D. PRAESIDE acceptum non patiar intercidere. Is autem ex ore CHRISTOPHORI DORSCHEI, nobilissimi gemmarum apud Norimbergenses caelatoris, ante paucos annos defuncti, presentibus grauibus viris, qui hodieque supersunt, eum accepit, & deinde, eodem procurante, personam vedit & ex ea rem omnem, ut ante viginti pluresque annos gesta fuit, audiuit. Scilicet is artifex, nulli veterum secundus, magnam huius pulueris quantitatem domi suæ consumebat: diligenter autem monebat illos, quibus comminuendos adamanentes tradebat, ut sibi a puluere cauerent, quem bona fide

fide credebat esse venenum. Aliquando dederat ancillæ bonam quantitatem sibi præparandam , quæ , ob aliquod decus admissum , sibi metuebat , consiliumque ceperat morte sua præoccupare publicam notam. Non præsentius putabat ad finem suum obtainendum aliud venenum , illo , quod herus toties cauere iusferat , fatisque magna quantitate assumta ex ædibus se subducebat , prope instantem exspectans mortem. Sed quum nihil mali inde eueniret , reperta tandem quid , quo consilio fecisset , negare non poterat. Certum est , quod nec minimum incommodum inde persenserit mulier , forte hodieque superstes.

## §. X.

His experienciis munitus firmiter concludo : adamantem , nec integrum in magnis frustis , nec in puluerem tenuem comminutum , exserere deleteriam homini , aut vlli animali efficaciam : nec attentionem mereri quæcumque ex nuda speculatione ab otiosis prolata , a callidis propagata , & ab optimis quibusdam viris , qui , quod tutissimum videbatur , sequi volebant , repetita fuerunt ; dum interim grauissimi aliqui doctores & profesores artis nostræ vel aperte contradixerunt , vel se dubitantes in hac quæstione declarauerunt. Supereft igitur , vt videamus theoretica illorum fundamenta , qui sententiam nobis contrariam tuentur. Adamantem supponebant Arabes esse frigidum & siccum in quarto gradu : quæcunque autem vel frigida vel calida in hoc gradu essent ; ea in relatione ad corpus nostrum talia esse existimabant , vt nos destruere debeant , si talia sint , vt actuari in nobis possint. Ita calida , quum a calore nostro succensa sunt , calore suo calorem nostrum augere : frigida quum calefacta sunt , emittere vapores frigidos , qui refrigerant. Hæc est regula veterum , ad quam exigebant doctrinam de viribus singulorum simplicium : in quibus determinandis maximam comprehendimus utique dissensionem ; quam hoc quidem loco explicare non est tempestiuum. Illud interea notandum putamus ,

mus, quod ii veteres, quicumque adamantem nec iuuare nec nocere posse crediderunt, supposuerint illum nullo modo posse in nobis actuari: qui vel medicam vel venenosam virtutem ipsi tribuerunt; ii vtique putauerint fieri posse, ut aliquid in nostrum corpus de se transmittat, quo status eius alterari queat aut debeat.

## §. XI.

Iam vero manifestum est, illam de primis qualitatibus doctrinam, quaternario elementorum veteri superstructam, adeo mancam & ambiguam esse, ut nulla hinc institutio solida & scientifica proficisci possit: quare non solum pridem ab HIPPOCRATE, libro *de prisa medicina*, grauiter repudiata est: verum hodie omnino omittitur, & tantum ab illis, qui ad intelligendos priscorum libros instrui cupiunt, cognitione historica delibatur. Non opus est plura de hac re verba facere, quum ipsi accusatores grauissimi laesionem non a qualitate venenosa arcescant, sed ab actione, quam vocant aliqui, mechanica, scilicet quæ pendeat a figura & positu particulatum, id aggregatum, quod adamas vocatur, constituentium, ad scindendum, pungendum, exulcerandum apta & idonea. De eo supra dedimus BOETII testimonium: addam nunc alias viri, ex patronorum huius sententiae mente disserentis, testimonium. Est is THEOD. ZWINGERVS *in theatro prax. med. part. II. pag. 524.* Nonnulli adamantem in venenorum numerum receperunt; qua autem ratione id factum fuerit, hactenus diuinare nondum contigit. Adamas quidem omnium lapidum durissimus existit, eo quod eius particulæ, a spiritu quodam acido tenacissime coagulatæ sunt: hinc credunt nonnulli, eum quoquo modo in puluerem redactum subtilem, atque variatis dosibus exhibitum, nunc citius, nunc tardius interimere: quod si verum est, non alia certe ratione contingit, quam quod particulæ adamantis subigi impossibilis, in ventriculi plicis immotæ obhaerent, ac nerueæ tuniceæ paulatim impactæ superficierum suarum acumine pungentes, dolorem

rem primo , hincque inflammationem , putredinemque inducunt , ac latius deinde serpendo , inque maslam sanguineam irreundo , ob texturæ inflexibilitatem , in motu circulatorio sanguinis particulas vehementius exagitant , atque a se inuenient distorquendo syncopen mortemque inducunt .

### §. XII.

Atque hunc agendi modum pluribus placere video , qui adamantem inter venena , mortem , cuius auctores tamen sint , ad tempus differentia , recensent : quare opus videtur modum hunc paullo adcuratius considerare . Qui itaque de adamante in genere persuasum habent , quod scindendo , exulcerandoque noceat ; hi vel maxime etiam a magnis & integris hoc metuunt . Hoc dextre adhibito licet vitrum incidere satis profundo sulco , ut facile frangi deinde illo loco possit . Si itaque vitrum incidet , quanto magis debebit incidere ventriculi & intestinorum villosam tunicam ? Sed quam vanus hic metus , & viris philosophis , præsertim qui a mechanica censi cupiunt , indignus sit , puto manifestum esse . Si aut ventriculus cum intestinis ex vitro essent , aut adamas molle & lubricum corium secaret , condonari hic metus posset : quamuis & vitrum non secatur ab adamante , nisi apta manus eum ducat , & , quantum satis eit , imprimat . Hoc vero qua vi in ventriculo & intestinis fiat , haud facile quisquam inuenerit . Certe non sufficit instrumentum ad actionem perficiendam , nisi adsit omnis subordinatarum causarum apparatus . Cuneus ligna findit , si apte appositus , vehementia proportionata , impellatur : si duæ conditiones cessent per sæcula lignum & cuneus iuxta se , aut vnum super altero , iacebunt absque fissura ligni . Vitrum capax mille adamantes mille annis continere potest , si nemo sit , qui adamantem dirigat ad scindendum vitrum .

### §. XIII.

Iam de puluere adamantis minuto dispiciendum erit .  
Et quamquam iusta videri poterit argumentatio hæc , si ma-

D

iores

iores, & qui acutos angulos habent, adamantes ventriculum & intestina non laedunt, tanto minus id exspectandum esse a tenui puluisculo, qui super lubricam intestinorum tunicam ab illis, quæ per ea decurrent, prouoluitur, partimque, ubi iam crasfescunt illa contenta, ab iis obuoluitur & simul propellitur: nescio tamen qua pertinacia ipsi potissimum insitunt & varia vrgent. Dicunt hunc atterendi vi summa pollere, quum non solum gemmas durissimas eius ope liceat atterere & perforare, sed ipsum adeo adamantem. Enimuero quis non videt illam, quam antea iam notabamus, *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος.* Ventriculus & intestina non habent naturam gemmæ, sed corii humectati. Neque puluis adamantis adamanti, aut alii gemmæ, appositus vel ei superfusus, atterit, si mille annis una iaceant: sed machina opus est, quæ versatile discum circumagat, qui oleo humectatur & puluere conspergitur, vt immani pondere appressam & quiete incumbentem gemmam, diu multumque eam contingendo, radat & arrodat. Vbi hic adparatus in ventriculo & intestinis?

#### §. XIV.

Sed, aiunt, duo adsunt, quæ adparatum hunc absoluunt, hisque acutæ & rigidæ cuspides pulueris huius adiunguntur in tunicas, quin, vt aliqui sentire videntur in massam humorum & ad viscera. Primo grauis est puluis, qui ubi semel incumbit, ipso suo pondere se profundius insinuat. Ego autem quærendum puto, annon lapis, qui contusus in multa, ponamus mille, talia corpuscula abit, quæ pro puluere haberi possunt, sit millies grauior quovis puluisculo. Si vero lapis integer promoueri ad exitum potuit, vt multa experimenta docuerunt, cur dubitabimus de puluisculo ex lapide facto, & millies leuiori? Exempla innumerâ sunt hominum, qui tempore necessitatis numeros aureos deglutiuerunt drachmales & maiores, eosdem tamen reddiderunt per aluum. Quis desperet de puluisculo, cuius ali-

aliquot mille corpuscula indiuidua nondum æquant drachmam? Deinde respiciendum monent ad motum peristalticum, quo certa intestinalorum spatia successive ad se adducuntur: hoc autem effici, quod in machina, qua adamantes aliæue gemmæ teruntur & poliuntur, motus diuturnus efficit. Enimuero quisquis in animali viuo motum hunc tam placidum attente considerauerit, cognouerit vtique, quam longe is absit ab isto, qui in politura requiritur: prorsus vt verba perderem, si hoc medicis vellem ostendere pluribus.

## §. XV.

Debent sane in medicina, vt confessæ rei documenta tueamur, ita omnia conuenire, vt, vbi est par ratio, idem effectus exspectetur. Id si verum est, vt neminem artis peritum negare posse existimo; cogitandum illis, qui adamantem suspectum reddunt, aut extreme noxiū esse contendunt, relinquo, quo iure quaque specie defensuri sint, vsum rubini, smaragdi, hyacinthi, granati, & si qui sunt alii lapides pretiosi, qui a tot sæculis publica auctoritate in officinīs prostant: aut quomodo excusandi sint tot egregii & integerim viri, qui crystallum montanam ægrotis, etiam tenerimis, præscribunt? At talia erunt venena, si adamas est, aut suspecta esse debent, si adamas debet. Quanto enim duri tie differrunt rubinus, hyacinthus, smaragdus, granati, nobiles & orientales, ab adamante, cogitari inde potest, quod limam æque respuunt. Est his non minus, quam adamanti, in exigua mole pondus insigne; horumque singulorum puluis molliores gemmas atterit. Et tamen publice florent in officinīs, & censura vnum vexat adamante. Et si adamas, quia vitrum scindit, noxius est, debebit vtique chalybis li matura noxiis æquo iure adscribi: non enim desunt artifices, qui ita chalybem temperare norunt, vt ipso vitrum, si non promtius, æque tamen promte atque adamas facit, incidere valeas. Bone Deus! quam multa sic erunt in pharmacopo-

lio venena! quam multi honesti medici in catalogo veneficorum erunt describendi!

### §. XVI.

Nolle excidissem aliquibus medicis aliquas voces, quibus limaturam martis catalogo venenorum temporariorum, vna cum polline vitri, inscriperunt. Et de limatura martis quidem iam supra adduxi MICH. SAVONAROLAM; de vitro sat antiqua mentio, sed & totius ænigmatis resolutio legitur apud ANTON. GVAINERIVM *de calculos. passione cap. IX.* Nam quum commendasset calculis frangendis vitrum in tenuem puluerem redactum, hæc notatu digna subiicit: *sed laudo, ut patienti hoc vitrum sic non manifestes, ne putet se venenari: quum ex eo canes interficiamus.* Sed bis non tritum datur, immo integrum, quod cum pinguedine aliqua commiscemus. Et cum eorum tunc guttur transfere nequeat, eos interficit, & non venenositate. Eodemredit casus apud SCHENCKIVM pag. 999. ex CARDANO adductus, vbi persona amens vitrum confractum pulmento ex ciceribus miscuit, ex quo aliqui nullam noxam, alii periculum & damnum incurserunt. Quam male hæc ad pollinem vitri, quo medici vtuntur, transferrentur? De limatura martis malo heic nihil, quam parum dicere: extant documenta publica per multos libros obuia, quibus declaratur, quam magni viri, quantis dosibus, quam diu continuato vsu, non leniti veneni effectum, sed sanationem ægrotorum, consequuti sint, vbi ex artis lege adhibuerunt.

### §. XVII.

Dum ad finem tendit hæc commentatio, succurrit animo, fieri vtique posse, vt aliquando obueniat casus hominis, cui puluis adamantis, non quidem sincerus, sed veneno imbutus, exitium attulisse per sectionem cognoscatur. In tanta veneficorum multitudine nihil non timendum videtur, vbi malitia omnes vires intendit, vt nocere hostibus queat. Sic legitur apud sæpe laudatum SCHENCKIVM pag. 928. notabilis obseruatio, de puerulo, cui per speciem amicitiae dono datus

datus fuerat veneno imbutus numus argenteus , quem is incautus ori immisit , quin prorsus in fauces attraxit , vt ibi obhæresceret & nec ad ventriculum descendere , nec vomitu reiici posset , vnde misellus altero die mortuus , quum dissecaretur , totum os ac fauces , malignis pustulis obsesum , gulam autem summe inflammatam ostendit . Haud multum dissimilis , quoad euentum certe , casus legitur apud BONETVM anatom. practic. tom. II. pag. 99. vbi puella nouem annorum ex nummo argenteo deglutito fuit mortua , tardius quidem , die quippe decimo . In hac numus sub ipso pyloro obhærescens inuentus fuit , continuorum vomituum & mortis satis clara causa ; sed quod sine veneno fuerat , nihil pustulosi , inflammati , erosi , quod notaret , inuenit , qui eam sectionem administravit & descripsit , THEODOR. KERCKRIN. GIVS. Quare si forte fieret , vt in extincto reperiretur puluis , qui characteribus suis omnibus iudicari posset adamantis esse ; probe attendenda fuerint circumstantiae omnes , ne in renunciatione error admittatur , & alteri tribuatur , quod alteri debetur .

### §. XIIIX.

Non opus esse existimo hic cumulare nomina magnorum virorum , qui innocentiam adamantis præclare sunt tuiti . Multa ex præcedentibus innoverunt . Addimus PAVLI ZACCHIAE testimonium ex quest. medico legal. lib. II. tit. II. quest. IV. vbi disputans , quod in beneficii delicto non satis sit , vt reus confiteatur dedisse se alicui venenum , nisi constet vero illud esse venenum , & in tanta quantitate sumptum , aptum fuisse ad mortem inferendam ; sermonem hunc ita illustrat : *Casus dari potest , in quo quis naturæ venenorum ignarus præbuerit alicui aliquid in potibus vel cibis , quod venenum esse putabat , cum tamen aut omnino venenum non esset , aut eset quidem venenosum , non tamen quod mortem inferre posset , vt exempli gratia , adamantis scobs , quam vulgus hominum venenum esse credit , cum vere venenum non sit . - - Si ergo hæc ab ali-*

quo assumatur, & interim intereat, procul dubio, quod ex ea adamantis scobe, quam venenosam putabat, non interierit; non tenet ergo ex hac causa rei confessio circa qualitatem veneni. Idem auctor, post aliqua interiecta, ita diserte concludit: ADAMAS ERGO VENENVM NON EST. Obsignamus tandem commen-tationem hanc illustri testimonio medici, qui inter omnes tantum effulget & eminent, quantum inter ceteras gemmas adamas excellit. Est is, quem praeceptorem & patronum ac promotorem omni pietate veneror & obseruo, FRIDERI-CVS HOFFMANNVS, qui in dissertatione de lesionibus externis, ab ortu venenis ac pilbris, pag. 28. haec verissime scribit: com-muniter toxicis annumerantur sanguis tauri - - nec non a quibus-dam adamantis & vitri puluis, quæ tamen sine noxa assimi possunt. Et paucis interiectis: PVLVEREM ADAMANTIS EODEM MODO INTESTINORVM TVNICAS, AC VITRVM, DISCINDERE EAQVE PROPTER NECARE, FABVLAM SAPIT.

TANTVM.



CLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DOM. CANDIDATO**

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS

CONSILIARIUS INTIMVS ET ARCHIATER REGIVS , ACADEMIAE  
FRIDERICIANAE SENIOR.

**Q**uem TE amare cœperim , cum ad me  
primum accederes , tuumque consilium a-  
perires de stadio medico apud nos decur-  
rendo ; non potui quin in TE amori meo  
indies magis indulgerem , ubi vidi incredibile studium  
tuum , quo , quicquid agendum suscipis , idem soles  
vrgere & peragere . Non volasti ad apicem bono-  
rum , sed per legitimos gradus satis mature adscen-  
dere voluisti . Id vero TIBI honorificum puto , & in  
exemplum aliis , qui vel ipsi saepe nimium festinant ,  
vel suorum consiliis & instigationibus vrgentur , com-  
mendandum puto . Postquam patria tua , quæ opti-  
ma ad nos ingenia demandat , TE Germaniæ liman-  
dum expoliendumque tradidit , satis multos annos in  
celeberrima Ienensi academia , philosophiæ bonarum-  
que litterarum studiis deditus , consumisti , ibidemque  
publicum doctrinæ testimonium ante hos decem annos

cum

cum laude reportasti. Excepit TE inde Fridericia-  
na nostra, ubi perrexiisti animum optimis doctrinis  
pascere. Tantum autem aberas ab illa quorundam  
cupiditate, qui ubi triennio forte patrii foci fumum  
non aspicerunt, nostalgia emorituri videntur: ut  
potius nunc demum emitiri amplissima Europæ cultæ  
spatia desiderares, TEque nobilibus iuuenibus adso-  
ciare, quibuscum Galliam & Belgium lustrares, hinc  
autem per Germaniæ complures provincias ad nouas  
Athenas, an nouam Alexandriam dicam, gloriofis-  
simi monarchæ PETRI nomine insignem & immortali  
beneficio conditam & exornatam urbem, pergeres, ubi  
compluribus annis commoratus ad Holsatos, & inde  
ad nostras Musas reuertisti. Quantum TIBI pro-  
fuerit improbus labor tot annis impensus bonarum lit-  
terarum & medicina studiis, cognouerunt quibuscum  
versatus fuisti: & cognoscent, cum quibus porro vi-  
eturus es. Ego quidem gratulor TIBI tam bonam  
mentem, quaæ tot annorum indefesso studio scientiarum  
utilium mercatui inbiauit, easque diuitias quaæsivit,  
quaæ, ubi semel nostræ esse cœperunt, numquam nostræ  
esse desinunt. Gratulor honores, quos meritissimus con-  
sequeris: utque TIBI fausti fortunatique sint, illis au-  
tem, qui se tuæ fidei permittent, ægrotis, salutares sem-  
per ac auspicatissimi, Deum precor. Is TIBI largiatur,  
quaæ virtutes tuæ merentur, amplissima præmia. Vale.  
a.d. XXV. Aprilis MDCC XXXVII.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO ET CLARISSIMO

# IOANNI FABRI

ARTIVM AC PHILOSOPHIAE MAGISTRO

S. P. D.

PRAESES.

**S**i mihi id datum crederem negotium, ut ea quæ de TE dici possunt honorifice, & quæ ad sequendum & imitandum aliis proponi mereantur, iusto elogio complecterer, non possent mihi facile verba deficere. Plures annos in academiis & bonarum litterarum studiis laudabiliter consumisti, quam multi vitæ annos secum afferunt, qui hodiernis moribus ad musarum maiora contubernia aduolant: quæ tamen ante deserere plerique festinant, quam bene didicerunt, quid discere ibi debeant, aut ut discere recte possint. Illud in primis operam dedisti, ut veteres auctores, a quibus optime doctrinæ ad nos propagatae sunt, intelligeres suo ore loquentes; atque ipse met, quæ cogitasti, veterum sermone exprimere posse. Exstant specimina, quæ tam soluto sermone in summorum principum laudem dedisti, quam ligato, Latio Attico & Rutheno. Per philosophorum scholas non cucurristi, sed plane cum illis consueuisti,

E

vt

ut TE inclytus eorum in academia Ienensi ordo summis honoribus habens dudum exornauerit. Quantum inter Gallos, Batauos & Russos, cum doctissimis viris versando, collegaris fructuum, obscurum nemini esse potest, qui TE cum colloquia instituit. Ita excultus & expolitus ad medicinæ supremos honores adspirasti, eosdemque decreto medici ordinis ea facilitate obtinuisti, qua tribuuntur optime meritis. Non possum quin TIBI acclamem:

ΕΥΓΕ ΚΑΛΩΣ ΕΙΗ ΔΟΙΠΑΙΣ ΕΥΧΑΙΣ ΘΕΟΣ ΕΥΦΡΩΝ.  
Proficisci nunc, DEO duce & comite, virtutique &  
bonestati, cum optimis studiis, porro deditus fortu-  
næ optimæ faber esse memento. Scripsi a. d. XXIV.  
Aprilis M DCC XXXVII.

---

HONORVM LAUDISQVE OMNIS  
CANDIDATO CLARISSIMO  
IOANNI FABRI, A. M.  
FAVSTA QVÆQVE PRECATVR  
JOANNES WALLASKAY

M. D. ET ACAD. N. C. SOCIVS.

**E**T si non sim mearum virium tam audax æstimator, aut ita prorsus oblitus incredibilis humanitatis TVAE, ut sperem a me profisci posse, quod TVIS laudibus aliquid addere, vel mutuam benevolentiam nostram augere

augere queat ; veteri tamen illa & amica consuetudine , quæ TVVM inter & meum Parentem olim intercessit , inuitatus , facere non potui , quin TIBI , *dilectissime Magister* , infulis Asclepiadeis nunc exornando , vel leui epistola congratularer . Argumentum dissertationis TVAE , vt cum Horatio scribam , tectum tunica adamantina procedit : quod me inuitat , vt & ipse quædam in adamante olim obseruata , digna , vt puto , eruditorum examine , TECVM communicare velim . Certe talia videntur , quæ , si longiori accurriione obseruatione comprobata sint , vtilem commendationi mereantur : si vero mihi imposuerunt mei sensus , ipsemet sane cupio , vt in spongiam incumbant . Legenti mihi PLINII *Hist. Nat. Libr. XXXVII. Cap. IV.* quo grauis auctor de sex adamantum generibus exponit , animum subiit cogitare , annon forte ab effectu adamantum aliqua eorum inueniri posset differentia . Initio quidem experimenta per ignem agitabam : sed ab hac via , grauissimorum virorum auctoritate , qui adamantem omnem ignis vim eludere scribunt , deterritus , & officinarum , quibus fortissimi ignes excitantur , destitutus subsidio , ad alia adpellere animum cogebar . Longum esset enarrare mea tentamina : id dicam , me , ducente uno experimento ad aliud , sex acus exiguae diuersis adamantibus adfricuisse , easque subtili stramini infixas , vitris aqua plenis indidisse , & bacillo circumegisse , vt obseruarem , vti quiescerent . Ex his vnam , vni adamanti affictam , semper septentrionem respexisse tunc quidem admirabundus , & saepe repetito experimento , videbam , videbatque mecum , qui superueniebat , amicus , non minus , quam ipsemet , rei isti intentus . Hac rei , vti mihi quidem videbatur , nouitate captus , diligenter in curta librorum meorum ,

qualis esse solet peregrinantium, sūppellectile inuestigauī, an non aliquis antiquorum, vel recentiorum auctōrum, hunc adamantis effectum eruditis expenden-dum commendasset. Cumque inuenirem neminem, qui tam mirabilis euentus aliquam faceret mentionem, & sāpe repetito experimento viderem, hunc solum adamantem, nec aliū ex meis, aut aliunde pro exa-mine faciendo acceptis, ea gaudere virtute, vt cum acu ferrea vim communicet, semper versus septentrio-nem adfrictam partem intendendi; firmiter constitue-ram, utilem hanc eruditōrum curationi examini com-mendare obseruationem. Verum cum ante octiduum experimentum repetere magisque confirmare vellem, vt aliquid certi & satis explorati hac in re proferre pos-sem, mirum & inexpectatum hoc vidi, adamantem hunc meum ipsissimum, nescio quo fato, tam lauda-bili virtute penitus orbatum esse. Tanto autem ma-gis demiror hunc mihi certe in exspectatum euentum, quo certior sum, me, in faciendo hoc experimento, nullam fallaciam caussæ non caussæ admisisse, quum & omnes circumstantias rite expenderim, & sensibus non solum meis, verum etiam præsentis amici, res ex-plorata fuisset. Initio quidem vehementer dolebam hac ratione eruptum mihi iri occasionem, experimen-tum istud eruditōrum oculis subiiciendi. Sed quum id non quæsitum, sed sponte oblatum, fideliter nota-uērim, neque videam rationem sufficientem, cur ada-mas non possit habere qualitatem aliquam cum magne-te communem, iterum ad libros confugi, consuluique, quos ad manus habere licebat, auctōres. Hos inter afferebat aliquod solatium PETR. VAN. MVSSCHEN-BROECK Tent. Exper. Nat. Part. II. pag. 82. quod per combinationem casuum similium, firma, vt puto, con-sequen-

sequentia elicere me posse existimo. Nam vbi de corporum virtute electrica ita scribit: *In genere notandum, difficillimum esse dictu, in quibus corporibus obtineat, a quibus absit hæc vis, cum aliquando in iisdem sileat hoc tempore, copiosa vero adsit tempore alio: tantum absum, ut abiendum putem bona fortuna mihi visum phænomenon, ut potius modeste istud cum naturæ scrutatoribus communicandum duxerim.* Ipse quidem diligenter custodiā tam rari phænomeni parentem lapillum, ut sæpe reuocatis experimentis certum quid inueniam. Si nihil successerit, æqua ingenuitate profitebor, quod me spes frustrata sit, quam gauisurus sum, si futura dies me edoctura est, quod possim cum certitudine plena producere. Quicunque fuerit huius rei professus, nostra tamen amicitia nullo dubiorum euentuuni discrimini exposita, adamantino nexu colligata, durabit, vt spero, & perpetuo incolmis perstabit. Fauxit DEVS, vt honoribus his mactus magis magisque efflorescas, omnique optatissimæ fortunæ successu beatus diutius vigeas, & TIBI coniunctissimi ciuis ita semper memoriam conserues, vt ipse numquam TVAM ex animo suo imaginem erit dimissurus. Vale. Dabam in Academia Fridericana. VII. Kal. Maii,  
M D CC XXXVII.

---

**H**ier ist ein jeder selbst recht seines Glückes Schmid,  
Dies kann man wohl an Dir, gelehrter FABRIG, spüren.  
Erst theilte Dir dein Fleiß der Weisheit Lorbeer mit,  
Nun muß Dich Aesculap auch noch, mit Purpur zieren,  
Was macht? Du triebst dein Thun mit Klugheit und mit Raht  
Du suchtest Dich mit ernst in Künsten Fest zu gründen  
Und was hernach dein Fleiß noch in der Weisheit that,  
Kann Dir mein schlechter Kiel hier schwerlich reimend binden.

Genug! man sieht, daß Dir dein Fleiß viel Glück verheißt  
Du wendest Dich von hier nach Nordens kalten Gränzen,  
Da wirst Du, was die Wuh Morbonens niederreißt,  
Durch Deinen Raht und Eur am besten denn ergänzen.  
Zieh glücklich hin! Du hast nunmehr den Ehren-Sieg,  
Doch dencke auch hinsort an den, bey Deinem Glücke,  
Der hier mit Dir vergnügt zu gleichen Ehren stieg,  
Als Deinen guten Freund, ob schon entfernt, zurücke.

Dem Hoch zu Ehrenden herren Doctorando  
schrieb dieses, sich Ihme dadurch bestens  
zu empfehlen, dessen Aufrichtigster  
Freund und Diener

FRIDERICVS WILHELMVS BRVNE,  
MEDICINÆ DOCTOR.

Cognata nostri portio sanguinis,  
Cur inuidendis crescis honoribus,  
Nec spernis omnes hos triumphos  
Palladiæ in medio iuuentæ?  
Crescis peregre, nec titulos TIBI  
Ignaua scribit gratia; nec fauor  
Permittit illustris deorum,  
Laribus vt patrii præses.  
Nam primo ab ortu, pectoris ignea  
Sinu parentum TE procul indeoles  
Duxit, per oras exterorum  
Roxolidum populos & vrbes.  
Sat litterato nobilis otio  
Per docta raptus compita, Græcia

Fontes

Fontes bibisti, nec Latinæ  
Inferior studiis Mineruæ.  
Nunc vectus ala præpetis ingeni,  
Inter Medentum summa adipisceris  
Tropæa, successu decenti,  
DOCTOR ouans duplici corona.  
Hoc est, quod olim non temere dabus  
De Te futuri spes puerο altius,  
Palmarum supremam qui teneres  
Et Sophiæ & Medicis sacratam.  
Vicit laboris nixus & ingeni  
Pinnis citatis, & studio pari:  
Nunc voce facunda disertus  
Consequeris titulos Cathedræ.  
Mox TE merentem, quo statuit loco,  
Virtus locabit laudis adorea,  
Quam fata, Phoebo sic volente,  
Proposuere TIBI ferendam.  
Sed plura, blandæ, fama modestiæ  
Momenta honorum transflit, & nouos  
Doctrina NOSTRO FABRI plausus  
Dissimulat pudibunda vultu.  
Dimitte curas interea graues,  
Et fide diuis: sic TIBI copia  
Manabit ad plenum reuertens  
Ars Medicinæ opulenta cornu.  
Sic nostræ memor PANNONIAE, diu  
Optata FRATRI gaudia diuide,  
Qui deprecatur nunc ut olim,  
Ne patriæ penitus parentes.

Vitembergæ Saxon. XII.  
Calend. Maii, 1737.

Hæc bonori, amoreque ac memorias  
clarissimi Dn. Candidati, Con-  
sobrini sui longe desideratissimi,  
gratulabundus pandebat

IOANNES SAMVEL MARTINI,  
LL. ARTIVM CVLTOR.

Freund

**K**reund schau die Lorber an, die in dem schönen Sachsen;  
**W**o edle Künste blühn auf Pindus Höhen wachsen.  
Nicht wahr, sie reizten Dich? Kunst Wissenschaft, Verstand  
Und deren edler Trieb zog Dich in dieses Land:  
Drum brichst du nun mit Lust, und zwar zum zweiten male,  
Zu Deinem Lorber-Kranz in Halle an der Sale  
Die schönsten Reiser ab. Ihr angenehmes Grün  
Zeigt, da sie unverwelkt um Deinen Scheitel blühn;  
Was Du, hochedler Freund, was wir von Dir zu Hoffen.  
Es stehtet Dir der Weg zum schönsten Glücke offen,  
Das einem edlen Geist den Zutritt nie versagt,  
Der so wie Du der Kunst und Tugend nachgeiagt.

Mit diesen wenigen Zeilen wolte dem  
Herrn Doctorando seinen erge-  
bensten Glückwunsch abstattem,  
dessen Verbündeter Diener

**SAMVEL RAYMANN,**  
**HVNG. MEDIC. CVLTOR.**



